

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LATIN READING EXAMINATION

Translate the following passage accurately into idiomatic English. You will have two hours to complete the examination. The use of a dictionary is permitted.

Nunc ea cognosce quae maxime exoptas. Rem publicam funditus amisimus, adeo ut Cato, adulescens nullius consili sed tamen civis Romanus et Cato, vix vivus effugerit quod, cum Gabinium de ambitu vellent postulare neque praetores diebus aliquot adiri possent vel potestatem sui facerent, in contionem escendit et Pompeium 'privatum dictatorem' appellavit. Propius nihil est factum quam ut occideretur. Ex hoc qui sit status totius rei publicae videre potes. Nostrae tamen causae non videntur homines defuturi; mirandum in modum profitentur, offerunt se, pollicentur. Equidem cum spe sum maxima tum maiore etiam animo, spe, superiores fore nos, animo, ut in hac re publica ne casum quidem ullum pertimescam. Sed tamen se res sic habet: Si diem nobis dixerit, tota Italia concurret, ut multiplicata gloria discedamus; sin autem vi agere conabitur, spero fore studiis non solum amicorum sed etiam alienorum ut vi resistamus. Omnes et se et suos amicos, clientis, libertos, servos, pecunias denique suas pollicentur. Nostra antiqua manus bonorum ardet studio nostri atque amore. Si qui antea aut alieniores fuerant aut languidiores, nunc horum regum odio se cum bonis coniungunt. Pompeius omnia pollicetur et Caesar; quibus ego ita credo ut nihil de mea comparatione deminuum. Tribuni pl. designati sunt nobis amici; consules se optime ostendunt; praetores habemus amicissimos et acerrimos civis, Domitium, Nigidium, Memmium, Lentulum; bonos etiam alios singularis. Qua re magnum fac animum habeas et spem bonam. De singulis tamen rebus quae cotidie gerantur faciam te crebro certiosem.